



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Epistola II. Ioannis Papae X. Ad Carolvm III. Regem. Significat se ad Herimannum scripsisse, vt cum Hilduino & Richario Romam veniat: Hubertum etiam ob ecclesiae Romanae depraedationes excommunicasse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

EPISTOLA II.

IOANNIS PAPÆ X.

AD CAROLVM III. REGEM.

Significat se ad Herimannum scripsisse, vt cum Hilduino
 & Richario Romam veniat: Hubertum etiam
 ob ecclesiæ Romanæ deprædationes
 excommunicasse.

*Ioannes episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Carolo
 glorioso regi.*

CVM sincera in vobis caritas, atque perfecta mansue-
 tudo clarescat, quia diuina dispensatione hoc agi-
 tur, conditori nostro Deo immensas gratiarum actiones
 referimus. Vnde hortantes vestram filiationem mone-
 mus, vt semper solliciti manentes, subditos quoque vo-
 bis commissos per abrupta diutius ire non permittatis.
 Quia in hoc vestri regni sceptra sublimia manent, cum
 Spiritus sancti dispensatione quod inutiliter gestum est
 emendare non negligitis. Noster namque dilectus filius
 Berengarius gloriosissimus imperator apostolatui nostro
 literas ex Richero a vobis electo in Leodio, atque a cun-
 ñto clero & populo, transmisit: & qualiter Gislebertus
 vester infidelis Hilduinum illic consecrare præcipiendo
 non formidauit. Nos vero, prece dilecti filii nostri moti,
 Herimanno archiepiscopo nostri apostolatus apices trans-
 mitttere studuimus, quatenus mediante Octobrio cum il-
 lis pariter iunctus ad limina apostolorum non differat ve-
 nire, vt tunc probabilibus documentis canonice qui di-
 gnus est approbetur, qui vero indignus esse contempla-
 tur, tunc reprobatus appareat. Usque ad illud vero tem-
 pus, vt Hilduinus in supradicta ecclesia, quæ Legia dici-
 tur, aliquod regimen detinere, & sacerdotale officium
 exhibere non audeat, commonendo præcepimus. Ta-
 men quia dilectio nostri filii in vobis abundantter emanat,
 dignum est sinceritas atque consanguinitas vestra vt in
 illo promptius appareat; & ita fidissimus ex vestra di-
 lectione permaneat, quatenus ex illius adminiculo in
 præsenti cognoscatis. De hoc vero quod Gislebertus
 contra vestra sceptra inutiliter geslit valde doluimus, eo

B iiij

quod prisca consuetudo , & regni nobilitas censuit , vt nullus episcopum ordinare debuisset absque regis iussione. Et quia Herimannus archiepiscopus , magis hominis quam Dei formidinem metuens , Gisleberti iussione Hilduinum consecrare non distulit , hac pro ratione sententiam vocationis illi transmisimus , vt mediante Octobrio , & si pro metu Paganorum venire tunc nequeunt , in Kalendis Aprilis , omni remota occasione , tunc nullo modo cum Hilduino & Richero venire differat. Quia tunc inibi coniuncti , ex decoro vestri regni subtiliter colloquentes , ita radicitus hoc quod vobis per Gislebertum contigit extirpare non denegabimus , vt postmodum nec ipse , qui auctor iniquitatis contra vestra sceptralia gessit , nec aliis aliquis audeat aliquam læsionem vestro in regno inferre. Illud etiam vestrae filiationi innotescimus , qualiter nos iuncti cum Berengario gloriosissimo imperatore dilecto filio nostro , ad Hubertum , vt deprædationes atque incendia , quæ in sancta Romana ecclesia committere non formidauit , emendare studuisset , admonendo misimus : qui renitens , atque superba voce hoc contradicens , emendare noluit. Nos autem , secundum nostri ministerii effectum , illum sub excommunicatione misimus , eumque anathematis vinculo alligauimus cum omnibus suis sequacibus. Vnde vestrae celitutini hoc patetfacimus , vt nullus vestri regni illum sequatur , vel ei adiutorium impendat , quia non solummodo qui eum sequuntur alligauimus , sed etiam qui ei adiutorium impendere delectantur.

CONCILIVM CONFLVENTINVM

OCTO EPISCOPORVM, NE CHRISTIANI
intra septimum gradum cognationis matrimonium
contrahere præsumant , anno Domini DCCCCXII. ha-
bitum , tempore Ioannis papæ X.

N O T A.

Iuo part. 9.
cap. 66. ^a *Concilium.*] De tempore , loco , rebusque in hac Synodo gestis ,
ista apud Iuonem : Anno dominice incarnationis nongentesimo duode-
cimo apud Confluentiam iussu venerabilium principum Caroli videlicet

ANNO
CHRISTI
912.